

etis hominibus tam noxius tamque molestus esse videtur.

CAPVT IV.

Finis instituti, singulorum Caputum rationes expositae vniuersim.

§. I.

Principes Imperii Germanici, illi inprimis, quorum iudicio Caesar fit, ea potentiae & dignitatis fastigia tenent, vt ditiones eorum singulas respublicas; ipsi, verissimo ipsius Caesaris elogio, Reges singulos efficere videantur. Sunt quidem illi in vasti corporis contextu, quem cardine quodam librant voluuntque (i); sed, quoties domi secum agunt, quoties cum exteris contrahunt, tum demum interiores virium ac potestatis recessus rerum etiam ignaris intelliguntur.

§. II. Habet enim id praecipui prae aliis vniuersi orbis gentibus (k) GERMANIA nostra, quod suo iure
PRIN-

(i) Haec differentia singularis est momenti. Quamuis enim Caesaris & Imperii intuitu & ipsi electores membra sint audiantque vasalli ac subditi: veruntamen in prouinciis eorundem parum aut nihil reperis, quod supremo imperio illorum queat obesse. Scotiae Icti, qui aperti sunt, Reges eorundem agnoscunt in clientela fuisse Regum Britanniae, non Scotiam ipsam, quam dicunt Regi suo vnice semper paruisse. Huberus itaque inter subiectionem Regis & regni distinguit, argumento non ex ingenio, sed ex re ipsa petito. Ordinibus patriae suo exemplo praedit Bohemiae Rex, qui Imperatori ita paret, vt parum aut nihil decedat eius autonomiae intuitu regni ipsius. Nostris certe Archiprincipibus paria cum hoc iure esse, mihi quidem est exploratissimum.

(k) Habent Hispani suos grandes, quos dicunt; Galli pares curiae, alia regna proceres alios, qui sunt in imperii quodammodo societate. Verum illi omnes conferri tantum possunt cum Germaniae Principibus intuitu actuum comitialium, non territorialium, vbi cum nostris Principibus illi nihil quicquam habent commune, vt bella ducant, foedera pangant, tributa imperent, condant leges, ceteraque faciant, quae Rex in suo regno
idque